



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Consensus Veteris Et Moderni Papatus

**Reck, Johann von der
Monasterii Westphaliæ, 1722**

Præfatio ad Lectorem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68472)

PRÆFATIO ad Lectorem.

Motiva hæc suomet calamo exaravit, qui libelli precedentis auctor est, Perillustris ac Generosus Dominus JOANNES L. B. à RECK, Dynasta Steinfurtanus: eademque Typis publicis evulgavit Anno 1651, cum ejurato Calvino ad Ecclesiam Romano-Catholicam se reciperet. Utrumque Opusculum, tam prius quam posterius, statim ab incunabulis magno Catholicorum applausu exceptum est: priori tamen haud longè post etiam id honoris obtigit, ut ex germanico sermone, qui utrique natus fuerat, à quodam veritatis studioso latine redditum, & Hannoveræ Anno 1674. Typis Schwendimannicis recusum sit. Oportuisset quidem eo tempore etiam hæc motiva, quæ Perillustris Auctor libello altero complexus erat, in latinum idioma vertere ac donare publico: sed quia id eadem occasione veteribusque Typis prætermisum est, suadet utilitas & boni communis amor, nunc saltem id efficere, cum libellus prior secundis vicibus ad prælum curreret.

Itaque singulari sollicitudine huic labori manum addidi; eâ tamen præfixa lege, ut in toto scriptiois decursu sensum potius quam verba Auctoris sequerer: & ideo non modo vocum ac Periodorum ordinem ex uno subinde loco in alium transtuli; sed etiam, ubi vel major claritas vel orationis latina fluxus vel rei demonstranda gravitas postulabat, pauca addidi, quæ eum in finem singulariter profutura censui. Hac monitione præviâ versionem hanc tibi submissè porrigo Lector benevole, & ut fructum ex ea desideratissimum capias, ex animo precor.